

- perfidiam Ioab, licet nepotis sui, sententiam mortis dedit, quomodo
 25 vel moriens deo placuit vel imperpetuum electus permanebit?
 Propter quod nemo te circumveniat homo dei, si fidem
 servare nolueris, nec in hoc saeculo nec in futuro salvus esse
 poteris, et quisquis tibi de non servanda fide consilium
 dederit, verus consiliarius tibi in hac parte nullo modo
 30 esse poterit. DE VERITATE
 Quid enim maius vel melius de veritate dici potest, quam quod
 ipse dominus ait: *Ego²³ sum⁸ veritas*? Quisquis ergo *mendatium^{h24}*
loquitur, contra deum loquitur, quia contra veritatem,
 quae deus est, omnimodis loquitur. Et quamvis hæc solummodo
 35 ratio contra omne mendatium sufficere possit et
 plura sint sanctæ auctoritatis testimonia et quæ et verita-
 tem merito laudent et omne mendatium iustissime
 condemnent, pauca tamen exinde hic inserenda suntⁱ

...

(DE IUSTITIA)

...

- f.2^r si iusticias hominum iuste servare noluerit. Nam,
 40 ut omnibus notum est, tanta talisque debet esse iustitiae
 norma sicut aequissima suptilissimaque rectitudinis
 libra, per quam omnis disputatio contentio disceptatio
 seu quolibet ratiocinatio tantam debet suscipere sententiam
 rectitudinis, ut non solum nemini non displiceat, verum
 45 etiam deo et hominibus apertissime placeat. Cum igitur
 generaliter de omnibus nulla sit dubitatio, quod sine illa
 salvus esse poterit nemo, quid de rege sentiendum est?
 Et cum iustus iudex in tremendo iudicio pro non servata
 iustitia^k inferiores rei publicae ministros discutere coepit^l

g) aus Esum verb. Hs. h) aus mendacium verb. Hs. i) danach Blattverlust Hs. k) iustia
 Hs. l) so Hs. wohl statt coeperit

²³) Ioh. 14, 6.

²⁴) Vgl. Ioh. 8, 44.